


A L O Y S I I
CACCIANIMICI PALCANI
DE PRODIGIOSIS
S O L I S
D E F E C T I B U S
S E R M O
ITERUM EDITUS
CURANTE
PETRO NAPOLI-SIGNORELLI



NEAPOLI

EX TYPOGRAPHEO ORSINIANO
M. DCC. XCI.

PETRUS NAPOLI-SIGNORELLI
DOMINICO COTUNNIO

S. P. D.

Ogitanti mihi, Dominice Co-
tunni vir clarissime, quonam
fato contingat, ut intactos ja-
cere in bibliothecis bene mul-
tis, & pulvere oppletos, & blattarum pa-
scua videamus non modo Doctorum co-

dices oscitanter incompteq[ue] exaratos, sed & librōs pene omnes Eruditorum, qui verborum munditiam atque elegantiarum quantivis pretiū selectionem omni studio consequantur, philosophiam vero nec a lamine salutarunt. Quod si styli lutulentia negligentiam prioribus obfuisse dicemus, qui sit ut postremis aduersus oblivionem comptior sermo nitorque minime prospicit? Multorum sane philosophorum volumina legi desivisse compertum est (mitto quod nova philosophandi ratio ad sēculum componitur; nam Cicero vel Plato leguntur hactenus, & legentur, quamvis a Newtoniana ac Galilæana naturali philosophia longissime absint) eo quod graves illi doctique scriptores impexa barba luridaque pallio elati nil verbis effingendis incumbunt, inanemque cultus laborem reputantes despiciunt sua dignati amœniori ornatu commenta contegere ac condicere. Atque hinc est quod studiosi adolescentes horrido illo tristique sordium

squalore deterriti animum despondeant, lætioresque per campos sapientiam jucundiorem quærinent. Dissimili quidem a non minus lethali morbo laborant delicatuli quidam scriptores, qui dum Lyceum veluti Trophonii horrent antrum, toti sunt in effusiore in verbis cultum affectando, fucatumque interdum nitorem prosequendo; & dum selecta superstitione ordine verba redigunt, sapientiæ ne siliquam quidem unam tantæ adjicere verborum farragini valent. Næ leves evanescent in auras, ad Sibyllinorum foliorum instar, suberea (ita mihi ea fas sit a levitate nuncupare) ipsorum scripta, licet Bodoniano typographeo excusa, licet ad bipalmis latitudinis & bipedalis longitudinis formam protenta, licet ipsiusmet Bartolotii haud perituro graphio insculpta. Quocirca nil magis patet quam quod tum qui eleganter ornat levia, cum qui incōndite gravia moliens inepte blaterat, uterque ortu ipso cadit, inque ar-

cis æternum pulverulentus obdormit. Ne-
mini etenim temporis edacitatem obtun-
dere juraque infringere datum est, si per-
paucos demas, qui sapientiæ sic rite alli-
gant elegantiam, ut altera alimenti uti-
litate vires enutriat, altera venustate al-
liciat, utraque simul posteritati eorum
nomina scriptaque commendet. Nonne
aliis de caussis hinc innumeri periore pe-
reuntque versificatores, sophistæ, nugato-
res, antiquarii, epigrammatum artifices,
illinc medici institutores, mathematici,
periti juris, & philosophi? Illi eleganti
futilitate nil præter verba consuentes, isti
rudes discinctique ratiocinantes, in nihi-
lum pari fato citissime rediguntur. At
quos mox honoris gratia memoravimus,
duo eloquentiæ doctrinæque sidera, Tul-
lius & Plato, necnon Philo ille Judæus
Platonem ipsum æmulatus, & Caius Pli-
nius naturalis historiæ parens, & Cordu-
bensis Lucius Annæus Seneca, tum rena-
scentibus litteris & Pontanus, & Gala-

ræus, & Bernardinus Tilesius, & Fracastorus, & Galilæus, astronomiam, opticam, mechanicam, physicam, scientias omnes digniori stylo pertractantes, per ora volitabunt hominum quoquo barbaries exulabit. Nec minor profecto nostri ævi gloria. Prope Séquanam Fontenellius Gratiis litans dum scientias colit, communi se eripuit fato, & vivit adhuc; sui vero turmatim Cartesiani undique ex hominum memoria diffugerunt. Buffonius item perelegans ille nostri temporis Plinius in sui admirationem & coævos coegerit, & advenientia coget sæcula, dum tartaris sub imis, eeu folia autumnali concussa turbine, decidunt botanici, chemici, ceterique trium naturalium regnorum acri ac diligentibus sed aridi enectique investigatores technica tantum nomenclatura inflati. Italicos intra fines, ne plurimos congeram, paucorum sat sit retulisse nomina, scilicet Eustachii Manfredii, Francisci Zanotti, Joannis Baptistæ Vici,

Francisci Serai , Boscovichii , qui sane
inter scriptorum doctrina atque elegantia
præcellentium primi pilos principesque sunt
jure merito adnumerandi .

Verumtamen cetera licet defecerint do-
ctorum operum **compta oratione conscri-**
ptorum exempla , unus , si quid intelli-
go , parvus ad rem sufficeret aureus ac
cedro linendus liber , quem tuis nunc ocu-
lis subjicio . Extat inter **IX** voluminis
eruditas dissertationes ab insigni Sodali-
tate Cortonensi editas sermo hic de **PRO-**
DRGIOYSIS SOLIS DEFECTIBUS , quem
summus vir Aloysius Caccianimicus Pal-
canus Bohoniensis superioribus annis con-
diderat . Hominem nosti , mi Cotunni ,
elapsø vere in ejus patria dum parum-
per degeres **REGUM NOSTRORUM** secutus
reditus pene triumphales ab Alemania .
Haud ergo te latet , acri ut vir polleat
ingenio , ut omnia calleat scientia , ut
memoria ad miraculum valeat ; scis pa-
riter quam diserte , quam docete , quam fe-

liciter ex tempore etiam ad libitum de scientiis dicat latine, adeo ut nemini vel nitore, vel copia, vel jucunditate latini sermonis secundus videatur. Hoc autem de opusculo ipso quod est, nisi mihi met glaucoma ob oculos objicio, quasi speculum vel exemplari præsto, semper erit æque physicis quamplurimis ad eruditæ ac eloquenter disserendum, æque amoenioris litteraturæ cultoribus, ne merae nugas de more crepent, sed Palcani insistentes vestigiis docte simul & concinne scribere ediscant. Videsis, vir eximie, quanam ratione caussas hic investiget, cur solis lumen hebetetur, lac præter consuetudinem pene deficiat, hoc est sine lunæ interiectu, quæ ejus lucem terris adimatur. Nimirum quod summi physici, primique subsellii astronomi Keplerus, Gassendus, aliquæ maculis solaribus confidenter tribuunt, id Palcanus ab aeris crassitudine docte repetit, ditoque penè tangit, tantaque cum doctrina, & sanioris critices

D E P R O D I G I O S I S
S O L I S
D E F E C T I B U S.



HYSICA bene multa Historici veteres memoriae prodiderunt , quae mirabilia appellare per nos licet (quid enim est in rerum natura non mirabile ?) illi portenta ac prodigia dicebant , si quidem magnum aliquid portendere ac praedicere putabantur (i) . Haec vero prodigia in hominum animos multifariam irrepserunt . Ubi enim supersticio est fusa per gentes , versuti homines & ad fallendum parati ea impune fingunt , quae alii facile credant , & simpliciores qui sunt & rudes in physicis , se ipsi erroribus implicant longe gravissimis . Etenim quidquid praeter consuetudinem accidit praeter naturam putant existere . Illorum autem

xx

(i) Cicero de natura Deorum lib. 2. cap. 3. *Praedictiones vero & praesensiones rerum futurarum quid aliud declarant , nisi hominibus ea quae sint ostendi , monstrari , portendi , praedici ? Ex quo illa ostenta , monstra , portenta , prodigia dicuntur .*

calliditati fortasse obsisti nullo modo potest ; horum credulitas ne in omnes partes nimia fundatur , causarum explicazione coercenda est & reprimenda . In quo Physicorum qui nostra & Patrum memoria floruerunt , eluxit industria , qui suas partes esse duxerunt , rerum principiis patefactis , mederi animis vulgi & inanes sollicitudines detrahere . Itaque nemo est jam qui portenti loco illa habeat , quae olim ad religionem proponebantur , discessiones , ardoresque coeli , multiplices ac tortuosos fulminum iactus , procellarum , turbinum , imbriumque moles & impetus , aut si quid est aliud quod exterritis ostentet electricitas . Neque vero , si quando Sol ipse dux & princeps & moderator luminum reliquorum (id enim quoque ex historiis accepimus) in multos mensas deficere visus sit , metuunt Astronomi ne tantae observationis causam non fuerint assecuti . Utinam ne plus aequo confiderint ! Sed certe ex quo Solis faciem maculis identidem foedari compreverunt , ingentem sibi patere campum existimatunt in quo excurrere eorum ingenium conjectando posset . Igitur quod observatione attigerant , suspitione , ut Physicorum mos est , amplificarunt nullam se quidem tantam vidis .

se maculam quae tenebras Soli offunderet ; sed non esse naturae vicissitudines paucorum annorum conversione metiendas , ac latissimas fortasse , durissimasque maculas in Sole antiquitus concrevisse quae maximis caloribus discutivix potuerint , fuligine tandem absterea splendorum Soli longo intervallo fuisse redditum ; alia quoque sidera quae inerrantia dicuntur , in eamdem labem incidisse , eaque obscura modo & ignobilia per coeli spatia vagari . Atque haec magnifice sane loquuntur Astronomi , nihil tam verentes quam ut dubitare eadē re videantur , quae Keplera (2) placuit , Gassendo (3) , Hevelio (4) , aliisque clarissimis hominibus , quibuscum prope gloriosum est erravisse . Quae si negem fieri potuisse , nimium mihi tribuam & non sim ferendus . Quid est enim tam arrogans , quam certas fines , terminosque constituere quos macularum vel magnitudo vel nigror praetergredi nequeant ? Sed

(2) In epitome Astronomiae Copernicanae lib. r. cap. 73. atque in Astronomiae parte optica p. 259.

(3) Physicae sect. 2. lib. 1. cap. 4.

(4) In Cometographia lib. 7. p. 36.

ego non quid accidere fortasse potuerit , sed quid factum fuisse verisimile sit , scrutor ; neque a genere hoc toto sermonis refugiendum mihi esse arbitror , quod cum hominibus auctoritatis tantae quanta maxima esse potest , non consentiam . Neque enim qui sine acerbitate ea disputat , quae disserere malit quam iudicare , eorum quos contra dicit , minuit auctoritatem ; neque Philosophi vel si possint , cupiunt auctoritate vincere .

Principio autem quibus temporibus Sol diurnis tenebris involutus fuisse dicitur , iisdem extitisse maculas quae illius lumen interciperent , observatione constare nulla potest . Non dum enim Galilaeus vitra comparaverat quibus sordes & morbos in iis corporibus teneremus quae antea vetustate nulla labefactari & frangi , nulloque vitio extabescere putabantur . Sed cum & macularum interjectu & aeris qui terram circumfundit , crassitudine opacari Sol potuerit , arduum est ac difficile omnem ab aere suspicionem removere . Nam quod inquiunt coelo sereno Solem obscurum fuisse visum , id quidem non inficio ; sed requiro potius quaenam huic verbo , cum aerem serenum dicunt , vis subjecta sit : aliter enim explicari quod quae-

ritur non potest. Etenim si e vulgi consuetudine serenum aerem illum vocent in quo nubes nulla coacta fuerit, nihil equidem habeo quod reprehendam; sed ex hoc non efficitur quod concludere ipsi volunt: multae quippe exhalationes e terris excitantur ac diu perstant in aere, ante quam se se in nubem induant, quae ut sub conspectum non cadant, lucem tamen intercipiunt & opprimunt. Neque enim si caustici speculi periculum facias, non ad experimentorum exitum pertinet utrum assidui imbres ante effluxerint, an per multos dies coelum sudum manserit. Namque horum alterum si fuerit, ex sententia cadent omnia ac mirabilia incendia Physici facient; si alterum, vix corpora ad concipiendos ignes paratissima comburent, ac praeter inertissimam speculorum segnitiem nihil admodum afferent in quo mirremur. Quid vero causae est quod coelo sereno speculorum ardor alias contentior sit, alias remissior? Est profecto quod affirmemus alias majorem, alias minorem luminis vim in specula irruere. Quod qui fieri possit nisi aer interdum plures, interdum pauciores Solis radios intercipiat, non video; idque sentit Homburgius Physicus longe nobilissimus atque in

his periculis capiendis mirae dexteritatis. Neque cum ipse e Bougerii praceptis inquirerem, quantum splendor Lunae quae pleno orbe fulgeat, nitorem flammarum antecellat, in ea quam se observasse prae se fert Hombergius, experimentorum varietate non versabar. Quamvis enim illorum luminum comparatio ea plurimque experimentis satisfaceret quam Bougerius probat, manca tamen interdum sive potius absurdia esse videbatur. Cujus rei causam omnem si in aerem conferam, nimium forte mihi ipse arrogem; sed certe qui nullam in eo culpam residere putet, videat ne supra quamcuiquam credibile sit, detrahatur, non dicam de me, sed de Francisco Maria Zanotto, summō homine ac summo ingenio praedito, quem experimentorum socium ac participem esse volui. Namque in iis constituendis quae ad Lunae phasim, locumque pertinent, fallacia subesse nulla potest. Concedamus autem in flammarum lumine aestimando oculos erravisse non nihil, & flamas fortasse alias (quamquam omnes ex eadem materia excitabantur, & magnitudine, quantum per micrometrum intelligi poterat, pares erant) aliis tamen splendore praestitisse. Putemus etiam nos peccasse tam

pulchre, ut errores omnes in eamdem partem traherentur, neque aliis, ut fere fit, corrigi debuerint; incredibile tamen videtur tantum ab his dissidium fuisse commotum. Tamen si cum hac super re non modo ipse mecum, sed Physici longe clarissimi inter se dissentiant, non ratio modo, sed quedam etiam humanitas propemodum nos cogit, ut in eo fraudem fuisse suspectemur, a quo ipsi cavere non poterant. Quid est autem quod hi non caverint praeter aerem? A quo tanto majorem luminis vim extingui necesse est, quanto plures exhalationes fusae per ipsum ac dispersae vagantur, quamquam non omnium eadem fortasse natura est, ac aliae remissius luci obstant, aliae vehementius. Neque vero si quae exhalationes proxime terram sint, sub sensum non cadunt, ac saepe nescio quid per aerem sparsum inspiratur quo ejus perspicuitas levatur: omnino inter serenitatem & perturbationem coeli interjectus est quidam intermedius status, vicius amborum, utriusque particeps, vel utriusque, si verum quaerimus, potius expers. Sed quam probabile est anhelitus quosdam procul a terra abripi atque altius abstrahi, quam ut nos humi strati illos suspicere oculis possimus!

Quamquam interdum conjectura prospiciuntur : Quoties lucis cursus sereno coelo mirandum in modum inflecti visus est ? Quoties umbrae in solariis retro contrario motu sunt conversae ? Ut alios mittam , a Parentio (5) memoriae proditum est VII idus Junias anni millesimi septingentesimi tertii , cum meridies esset solarii umbram quae ad horam duodecimam pertinebat , retro ad horam fere decimam subito commeasse , ac sensim postea , tardeve potius , unde discesserat revertisse . Itaque aer mirificam nec opinatam refringentem vim habuerit oportet , atque eam quae a catheto incidentiae dicitur . Quam explicare se posse diffidant Optici , nisi ponant aeris , qui praecelso in loco atque edito situs est , vel densitatem praeter modum crevisse , vel quoquo modo virtutem eam qua radii aeris crassitudinem pervadentes ab sua semita detorqueri solent , acriorem fuisse factam . Quorum utrumque cum halitus cuiusvis generis qui aereum oppalent , efficere possunt , tum ex fluida quibus ipsum aerem componi

(5) In disquisitionibus mathematicis & physicis
p. 256.

& coagmentari Physici putant. Etenim aliter communis aer lucem detorquet, aliter ille qui inflammabilis appellatur, sicuti Valtirius docet; neque putandum est alias, quas vocant, aeris species in eo non differre inter se, licet multo longius in hoc genere provehatur desiderio Priestlejus quam quo experiundo potuit pervenire. Quae autem corpora in flectenda luce dissimilia sunt, in eadem extenuanda parientes non solent. Quare esset optandum ut Physici exercitatissimi, qui illorum fluidorum refringentes vires aestimare conantur, perluciditatem quoque molitione aliqua definirent. Quamquam non exhalationes solum per altissimum illum aerem volitant; sed & nimbi fortasse in eo gignuntur & nives & grandines de quibus ne suspicamur quidem. Quantum enim abesse a terra oportebat innumerabiles illos globulos quos Solem tracicere Messierius vidit! Hos certe editissimo in loco sitos & ex glacie conflatos fuisse docet Boscovichius, idque significare & annuere videtur Messierius ipse (6).

(6) In Actis Academiae Parisiensis quae ad annum pertinet 1777.

Id vero quidquid est quod adeo sublime fertur,
 certe crassum hunc aerem qui est terrae pro-
 ximus, non perturbat. Nos vero ita inconside-
 rantes sumus, ut dum caeruleos radios ab hoc
 reflecti cernimus, serenum coelum esse dica-
 mus, nihilque minus vereamur quam ne aeris
 vitio infringatur lux praeter modum atque
 elanguescat. Quod si liceret Physicis se se in
 altum tollere ac quos liberet cursus per aerem
 confidere, non dubito quin e longissimis illis
 itineribus redeuntes, multas superioris aeris
 perturbationes nunciarent quibus hic vacat qui
 proxime terram ambit: ut fere qui se se in
 profundo mergunt, humiliores aquas quietis
 & tranquillitatis plenissimas reperiunt, iidem
 si emergant saepe animadvertunt interea mare
 summum foedis tempestatibus intumuisse, mi-
 ranturque cum vident naves alias vento trans-
 versas agi, alias fluctibus jactari, alias inter
 se collidi & frangi. Sed haec & multa alia
 vix optare licet. Illud dolendum est ne defi-
 niri quidem posse aut quam multae exhalatio-
 nes in humiliori aere versentur aut quantum
 ad lucem opprimendam valeant. Neque enim
 hygrometro multum confidere oportet, quod
 commutari quidem a vaporibus sis potest, qui

ex aquis tepefactis oriuntur, ab aridis exhalationibus non item. Quae vero sit innumerablem corpusculorum, quae per aerem vagantur, natura, quae distributio, ac quantum alia aliis in obruenda luce praestent, docuit quod sciam nemo. Sed haec fortasse ultra quam satis est, videbuntur subtilia, & minus ad rem pertinent. De ipsis Historicorum narrationibus cognoscendum est, ut intelligatur quid sit quod eam obscuritatem, de qua disputamus, attulerit. Quamquam harum multae nihil nobis ad spem ostendunt, adeo imperfectae sunt & mutilae & a nimia propemodum vetustate confectae. Quis enim causas explicet quibus in Romuli interitu deficere Sol hominibus, extinguique visus est (7)? Etenim Historicorum scripta constant, leviter id totum attingunt, non locum ubi Sol aut Luna fuerint, declarant, non obscurationis diuturnitatem definiunt, non de aeris coelique natura commemorant; quidquid denique ad quaestionem dirimendam pertineret, re-

(7) Cicero cum in somnio Scipionis tum in Horatense, cuius particulam descriptsit D. Augustinus lib. 3. cap. 15. de Civitate Dei.

ticendo subterfugiunt. Tamen Cicero ita de illa Solis defectione disputat, ut ad ratos siderum, immutabilesque cursus illam revocare videatur. Livio (8) coorta tempestas placet cum magno fragore, tonitribusque quae tam denso Regem operuit nimbo, ut conspectum ejus concioni abstulerit; nec deinde in terris Romulus fuit. Verum & Plutarchus (9), & is qui historiam philosophicam conscripsit (10) seu Galenus, seu Aetius, seu quis alius fuerit, diutius terram propter Solis obscurationem olim in tenebris jacuisse, Xenophane auctore, docent; alia bene multa quae cognoscere operae pretium esset, non docent. Antiquitus enim Solem per mensem defecisse tradunt, nihil addunt praeterea; nisi forte magni putemus quod philosophicae historiae auctor e multorum opinione affirmat, nubem esse nescio quam quae, ut oculos fugiat, Soli tamen objecta ejus lumen intercipit. Referamus igitur animum ad

(8) Lib. i. Decad. i. cap. 6.

(9) De placitis Philosophorum cap. 23.

(10) De historia philosophica sermo est, quae vulgo tribui Galeno solet.

ea tempora quae cognitionem habent faciliorē. Ac quoniam Astronomi ad unum omnes quos Solis maculae terrent, luctuosissimum annum qui Caesaris interitum consecutus est, fere spectant, illumque ad formidinem propo-
nunt, videndum est, num quid eo anno conti-
gerit quod ad illud macularum incommodum
vel declarandum vel significandum valeat. Ne-
que vero Servium (11) audio qui Caesare in-
terfecto Solem pridie idus Martias in paucas
horas defecisse tradit, neque si qui Aurelium
Victorem (12) sic interpretantur quasi tum Lu-

(11) Servius ut divinos illos explanet Virgiliū
versus,

*Ille etiam extincto miseratus Caesare Romam,
Cum caput obscura nitidum ferrugine texit,
Impiaque aeternam timuerunt secula noctem,
constat, inquit, occiso Caesare in Senatu prid.
iduum Mart. Solis fuisse defectum ab hora sexta
usque ad noctem, quod quia multis protractum ho-
ris, dicit in sequentibus, aeternam timuerunt se-
cula noctem.*

(12) Scilicet is *Caesaris corpore pro rostris posi-*
to orbem suum celasse Sotom cap. 78. de viris illu-
stribus scribit.

na se se opposuerit Soli , subjectoque corpore ipsum contexerit , in summo errore non versantur . Etenim neque Caesari vita adempta est pridie idus sed idibus ipsis , neque aut pridie idus aut idibus ita e regione Solis Luna stetit , ut ejus lucem nobis eriperet . Quod initis , subductisque ex Astronomorum consuetudine rationibus firmat Petavius (13) ac plane ad veritatem explicat . Itaque nocte ea quae Brutus facinus antecessit , foribus ex improviso , fenerisque patefactis , Lunae fulgor seu Calpurniam (14) seu Caesarem (15) excitavit : tantum abest , ut Solem inter , terrasque Luna media fuerit . Sed infrequentia aliqua atque insueta re homines fuisse percusso vel e Cicerone potest intelligi (16) qui ut ad arma pro libertate capessenda Romanos incitaret , prodigiis jam & portentis ita denunciata esse a diis immortalibus futura exclamabat , ut nemini dubium esse posset , quin & Antonio poena , &

(13) Lib. 10. de Doctrina temporum cap. 63.

(14) Plutarchus in Caesare .

(15) Julius Obsequens de prodigiis cap. 127.

(16) Philippica 4. cap. 4.

libertas populo Romano appropinquaret. Verum nihil est tam flexibile, quodque facilius sequatur quo cumque ducas, quam prodigiorum interpretatio. His enim ipsis iram Deorum in Brutum & Cassium significatam fuisse contendebat Antonius, qui ad Hyrcanum Pontificem quum scriberet, *Propter quae, inquit, Solem etiam eversum fuisse credimus, qui & ipse patratum in Caesarem facinus invitus adspexit* (17). Quamquam seu Cicero seu Antonius, ut homines aliis in rebus vehementer occupati, parum in prodigiis explanandis insistunt, eorumque cognoscendorum desiderium commovent, non explent. Eadem distinctiori narratione exponit is qui nihil agebat aliud, Julius Obsequens (18), cui tantum hac in re tribuo quantum fortasse nemini. Quamvis enim hic multis post Caesarem saeculis floruerit, ipsum tamen cum lego, Livium mihi qui illorum temporum aequa-

(17) Ne Antonii litterae ad Hyrcanum posteros laterent, Flavii Josephi effecit diligentia, qui Antiquitatum Judaicarum lib. 14. cap. 20. easdem descripsit.

(18) De prodigiis cap. 128.

lis fuit, legere videor. Etenim cum Obsequens
 e Livii libris quos reliquos nobis fortuna esse
 voluit, prodigia illa sua fere exscripserit, non
 dubito quin eamdem in iis voluminibus quae
 vetustas perdidit, diligentiam adhibuerit. Ne-
 que id facit dissimulanter, siquidem iisdem
 temporibus quibus Livius historiam, hic scri-
 ptionem suam concludit. Rem igitur narrat
Obsequens in hunc modum. **M. Antonio**, **P.**
Dolabella Coss. **C. Octavius** testamento **Caesaris**
Patris Brundusii se in **Juliam Gentem** adscivit.
Cumque hora diei tertia ingenti circumfusa mul-
titudine Romam intraret, Sol puri ac sereni
coeli orbe modico inclusus, extremae lineae cir-
culo, qualis tendi arcus in nubibus solet, eam
circumscripsit . . . Terrae motus crebri fuerunt,
fulmine navalia pleraque tacta. Turbinis vi si-
mulacrum quod M. Cicero plebiscito ante cellam
Minervae pridie quam in exilium iret, posuerat,
dissipatum membris pronum jacuit, fractis hu-
meris, brachiis, capite, dirum ipsi Ciceroni por-
tendit. Tabulae aeneae ex aede Fidei turbine
evulsae, Aedis Opis valvae fractae, Arbores
radicitus &c. pleraque tecta eversa. Fax coelo
ad occidentem visa ferri. Stella per dies se-
ptem insignis arsit. Soles tres fulserunt, circa-

que Solem imum corona spicae similis in orbem emicuit, & postea in unum circulum Sole redacto multis mensibus languida lux fuit. Virgilius (19) ab Obsequente non dissentit; quippe & Solis caput ferrugine tectum & terrae motus & sonitus armorum toto coelo exauditos, atque Aetnam ruptis fornacibus undantem, volventemque flamarum globos, & liquefacta sanguxa ita carminibus suis exprimit, ut non tam prodigia narrare quam oculis subiicere videatur. Horatius (20) cum Philippensi praelio jam confecto, Brutoque & Cassio caesis, ad Augustum scriberet, cladesque multas quae per triennium Romanos perculerant, dicendo conjungeret, Solis quidem obscurationem tacitus praeterit, tamen de aeris perturbationibus non silet, quibus Juppiter & urbem & gentes terruisse dicitur: ex quo intelligitur non modis Romae, verum etiam alibi illa meteora fuisse visa. Gentes enim, hoc est externe nationes, urbi, idest civibus, opponuntur. Quid est vero, quod Virgilio & Horatio socios & consortes

(19) Georgicorum lib. 1. versu 494. & seqq.

(20) Od. 2. lib. 1.

in his prodigiis describendis Tibullum quoque & Propertium non adjungamus? Quorum alter atratis equis Solem interdum advectum fuisse tradit (21), alter etiam apertius precatur Apollinem, ut quae olim fuerant, annum Solis defectum, imbre lapideos, strepitum reconditum, horribilemque fremitum armorum, & si quid est aliud omen detestabile, avertat (22). Neuter quidem Caesarem & illa tempora appellat; credibile tamen est utrumque ad ea, cum scriberet, respexisse. Ovidius (23) dubitationi locum non reliquit, agebat quippe de Caesare; quamquam hic prodigia narrando praevertit, quaeque mortuo Caesare acciderunt, ea contigisse ante illius obitum dicit; sed Poetis est fingendi licentia liberior. Ad Historicos revertor qui licet a Caesaris aetate disjuncti, fidem facere meo judicio possunt. Est enim rusticum atque adeo inhumanum, quae clari & nobiles Viri memoriae prodiderunt, ea potius aut temere prolata, aut per fraudem facta, quam

(21) Prop. elegia 3. lib. 3.

(22) Tib. elegia 5. lib. 2.

(23) Metamorphos. lib. 15.

ab optimis Auctoribus accepta fuisse arbitrari . Fieri prodigiosos & longiores Solis defectus , qualis occiso Dictatore Caesare , & Antoniana bello , totius poene anni pallore continuo , Plinius inquit (24) , eique Plutarchus (25) assentitur . Appianus Alexandrinus (26) non horrenda modo , quae in Sole visa fuerunt , ostenta , verum etiam immanes fulminum jactus & maximam imbrium & procellarum & turbinum vim narratione sua complectitur . In his vero prodigiis exponendis ita Obsequenti Dio congruit , ut conjecturam facere liceat utrumque a Livio illorum cognitionem hausisse (27) . Nam Obsequentem quidquam sumpsisse a Dione suspiciorum habemus nullam ; neque si Obsequentis aetas , ut multorum opinio est , in Orosii tempora fere incidit , potuit ille ex hujus libris aliquid mutuari . Ut cumque sit , quam multis conficitur post Caesaris interitum mira exhalationum vi aerem oppletum fuisse . Unde enim

(24) Lib. 2. de naturalis historiae cap. 30.

(25) In Caesare .

(26) Lib. 4.

(27) Lib. 44.

Solis imagines, quas Historici Soles vocant, & ternos apparuisse memoriae tradunt, Graeci parhelia appellant? unde versicolores coronae quibus Solis orbis cingi visus est? unde faces coelestes? unde turbines quibus excisae arbores sunt, disrupta simulacra, tabulae aeneae evulsae, valvae confractae? Quid vero sibi vult incredibilis illa vis fulminum, quibus & templa Deorum percussa & navalia multa incensa sunt? quid funesti illi ignes, quibus Aetna abundavit? Ad hanc certe rem pertinet illud Tullii (28): *quondam eruptione Aetneorum ignium finitimas regiones ita fuisse obscuratas, ut per biduum nemo homo hominem agnosceret.* Jam quod caput est, cum terrae motus eo anno crebri fuerint, non est mirandum, si oculorum usum atra caligo prope abstulerit. Namque si terrae motus fiant, Solem caligine obsideri, nullaque interjecta nube obscurari docuit Aristoteles (29). Igitur si tunc fumare latissime terram oportuit, vimque ingentem exhalatio-

(28) Lib. 2. de natura Deorum.

(29) Meteorologicorum lib. 2, cap. 8.

nūm effundere , quae modo in pigro & stabili
 aere constantes & Soli objectae ejus speciem
 referrent , & coloratos arcus efficerent , modo in
 diversa nitentes & circumactae immanes vorti-
 ces componerent , modo conflictu atque tritu
 mirabiles ardores exprimerent , paucisque men-
 sibus tot meteora gignerent quot vix fieri so-
 lent annis se se vertentibus bene multis ; haec
 utrum tenuis & puri , an crassi & caliginosi
 aeris signa sunt ? Nos vero tantam caliginem
 idoneam fuisse negemus , quae Solis lucem ob-
 tunderet ? Quod ne temere dicere mihi ipsi vi-
 dear , ea faciunt quae memoria nostra conti-
 gerunt . Fuit enim annus millesimus septingen-
 tesimus octuagesimus tertius ab eo quo Caesar
 interfectus est , adeo non diversus , ut nihil
 propemodum ad perfectissimam similitudinem
 defuisse videatur praeter Brutum . Jam constat
 ita magnos terrae motus in Brutiis atque Lu-
 canis factos esse , ut multa oppida corruerint ,
 multis locis labes facta sit , terraeque desede-
 rint . Multae quoque Siciliae atque Aeoliae Ur-
 bes prostratae , aversique cursu rapido amnes ,
 mare fluminibus invectum , montesque lapsu
 ingenti diruti . Impetus tanti quem vix annus
 compressit , initium fecerunt nonae Februarii ,

fatalis Campaniae dies (30). Nondum aestas advenerat cum in Ostrogotia terra movit , & montes & agri qui ad Teutonas pertinent , flamarum globos & ingentem arenae vim effuderunt . Propter Islandiam nova quaedam Insula repente exstitit , immanibus rupibus & rigentibus late saxis aspera , e qua torrentes ignei erumpebant . Neque Britannia omnino terrore caruit , neque Hispania , eaque praesertim quae Baetica appellatur . Quid quod nunciatum est multas quoque cum Asiae tum Africæ regiones terrae motibus fuisse vastatas ? Interea universam Europam caligo occupavit ,

(30) Pompejos , celebrem Campaniae urbem , in quam ab altera parte Surrentinum Saliarcumque litus , ab altera Herculanense conveniunt , mareque ex aperto reductum amoeno situ cingunt , desedisse terrae motu , vexatis quaecumque adjacebant , regionibus , Lucili virorum optime , audivimus , & quidem diebus hibernis quos vacare a tali periculo maiores nostri solebant promittere . Nonis Febr . fuit motus hic Regulo & Virgilio Coss . In hunc modum exorditur Seneca lib . sextum quaest . naturarium .

in Sicilia, Brutiisque longe crassior quam alibi, cuius interpositu lucem Solis perinde immutam vidimus ac si illum per vitra colore aliquo illata adspiceremus. Quamvis autem eam caliginem & Boreas paullulum discuteret, & imbres leviter abstergerent, abstrahi tamen penitus ab aere nisi multis post mensibus non potuit; sive quod repulsam a Borea, exturbataque venti alii reducerent, & in terram simul cum imbris defluxam vapores excitarerent, sive quod halitibus iis quibus aer idem expediebatur, alii sine ulla intermissione succederent. Interea nihil humoris traxerunt hygrometra, fuitque barometrorum altitudo maxima, contra quam fere accidat cum nebulae ex aquis ortae aerem foedant. Quapropter quod oppositum nostris oculis lumen Solis diutissime obscuravit, siccum certe quid fuit, ac si quam odor afferre conjecturam possit, sulphuris non expers; id vero quid aliud esse putemus quam uberrimam quamdam terrae expirationem, seu fumum potius quem tot incendia elicuerint? Quod si excitato foculo non minima coeli pars fuligine infuscatur, quam late dispergi ea caligo debuit cum e tot Italiae regionibus assidui ignes efflarent, arde-

set Aetna in Sicilia , nova quasi in Teutonis
 Aetna repente existeret , Oceanus qua Islandam
 spectat , effervesceret , atque universus pro-
 pe terrarum Orbis contremisceret ? Alia pae-
 terea quae intersecto Caesare prodigia accide-
 runt , plane renovata ac longo intervallo repe-
 tita sensimus . Saepe cum alibi tum Bononiae
 Solis ac Lunae orbes coronis seu zonis cingi-
 visi sunt ; in quibus non est circulus reticen-
 dus qui pridie idus Julias hora fere sexta Lu-
 nam complexus se prodidit , cuius intimus co-
 lor erat ruber , medius flavus , exterior deni-
 que viridis . Gravis enim auctor Gassendus
 memoriae mandavit coronas circa Lunam a
 kal. Junii ad kal. Octobris vix umquam fui-
 se observatas . Coelestis fax quae per aerem
 ab Occidente ad Orientem ferebatur Terge-
 ste , coelumque ardere saepe in Hetruria vi-
 sum . Patavinum agrum ac totam prope Ve-
 netorum oram praetereuntes turbines male ha-
 buerunt . Vicetiae multa de coelo tacta ma-
 gno cum fragore & sonitu ; quodque non sae-
 pe fit , nullae erant nubes e quibus ardor tan-
 tus exprimi videretur . Quid ergo similius
 quam hic annus millesimus septingentesimus
 octuagesimus tertius cum eo quem Caesaris

obitus illustrem fecit ? Quod si hujus prodigia ita explicamus , ut macularum metus nullus sit ; quid est quod illa a maculis profecta fuisse suspicemur ? Quamquam cum haec apud doctissimos Viros dissererem , fuit qui dicentem interpellaret , moneretque , ut paria licet multa in utroque anno fuerint , esse tamen aliquid , idque gravissimum , in quo alter ab altero dissenserit . Ut enim , inquit , a Plutarcho accepimus , fructuum inopia , frugumque caritas Caesaris caedem est consecuta . Quod si spectes , comparationem illam tuam jacere senties . Quos enim halitus cum terra tremit , ardetque , uberrime profundit , eos fere e fixo atque inflammabili aere constare , & ingenti electrici fluidi copia imbui tam certum est quam quod maxime . Hos autem cum stirpes & arbores hauriunt , vix dici potest quam florent omnia ac quanta frugum & fructuum sit ubertas . Nosti jam in hac materia Priestlei experientissimi Physici observationes . Neque ea de re tuus ille annus millesimus septingentesimus octuagesimus tertius admonere te non poterat , qui frugifer vel maxime & fructuosus fuit . Neque de Aetnae aut Vesuvii eruptionibus unquam nunciatum est , quin multa

etiam de mira quadam agrorum fertilitate atque annonae vilitate audiremus . Hinc fit ut Campania & Sicilia foecunditatem & varietatem fructuum facile terris omnibus antecellant . Quae cum ille dixisset , parumper substitit . Ego neque facti fidem mihi certam esse respondi , neque si esset , idcirco me de sententia discessurum . Ut enim ab hoc exordiar , quam volumus licet , oppletum coelum electricitate & aere fixo fingamus ; tamen Caesarius ille annus gravissimus & difficultate annonae nobilis esse potuit . Sunt enim tam multa quae fruges affligunt & perdunt , ut interdum quae easdem alunt & sustinent , prope contemnenda ac pro nihilo putanda esse videantur . Dies interpositus unus saepe perturbat omnia & firmam , ut opinio erat , agricultarum spem perleve momentum nonnunquam fallit ; saepe etiam sine ulla aperta causa praeclaris initiis ortae segetes , tristes exitus habuerunt . Sed est praeterea videndum quatenus seu electricitas seu fixus aer foecunditatem det herbis & stirpibus : est enim suus cuique rei modus . Itaque a Sole tepefactae , terraque humoribus altae stirpes oriuntur & augescunt : at cum Sol Phaetonem filium in currum tran-

stulisse, aut cum Juppiter Deucalionis aetate
 tantam vim imbrium effudisse dicitur, ne Poem
 tae quidem dubitant, quin terrae foetus artue-
 rint ac plane interierint. Ac similiter tametsi
 seu aer fixus seu electricitas herbis presint &
 stirpibus, si tamen illa redundant plus nimio,
 non est cur eorum quae gignuntur a terra,
 perilitatem non pertimescamus. Igitur etiam
 surculos in aquam immersos cui salis granum
 injecerat, laetiores fecit Priestlejus; plura cum
 in aquam immisisset, omnino perdidit. Etsi
 non modo quanta horum corpusculorum copia
 in aere volitet spectandum est, verum etiam
 habenda ratio quemadmodum ea cum aliis at-
 que aliis corpusculis conjungantur. Etenim sunt
 multa quae si nihil in se admixtum habeant
 dispar sui atque dissimile, vim quandam suam
 & certam obtinent; eadem rebus aliis nexa
 & copulata commutantur, fiuntque contraria.
 Ut ne longius abeam, fumus ille quem sul-
 phur incensum spargit, quam non est plantis
 inimicus! Cujus vi & caules explicantur fa-
 cilius, & folia & flores luxuriantur impensius,
 & pleraque vitia in seminibus haerentia com-
 modissime tolluntur. At interea dum folia
 sulphuream illam fuliginem hauriunt, si va-

porem etiam qui ex aquis tepefactis oritur ; combiberint, certissima stirpibus pernicies instat ; quandoquidem depravantur, corrumpuntur, putrescunt . Quae res efficere meo iudicio potuit, ut cum anno millesimo septingentesimo octuagesimo tertio offusa ubique caligine Italicae arbores mirè fruticarentur, languerent in Belgio & putrescerent (31) . Quo clarius fit hujus anni cum eo quo Caesar occidit, similitudo . Neque enim putandum est fructuum inopiam, si modo uspiam fuit, aut Romae aut in Italia tunc fuisse : quandoquidem si in his regionibus quae notiores erant, durius aliquid accidisset, non unus illam agrotum sterilitatem nunciaret Plutarchus, sed certatim, mihi crede, & Historici & Poetae qui Caesaris mortui nomen cum Deorum immortalium laude conjungebant, ac sese blanditiis & assentationibus in Augusti consuetudinem penitus immerserant, tantam rem scriptis suis non testatam modo, sed illustratam etiam & celebratam reliquissent . Hoc enim perspicuum

(31) Vide Commentaria Berolinensis Academiae quae ad annum pertincent 1782.

est, cum ii qui recenti memoria omnes illius temporis aerumnas studiose atque adeo cupide explicabant, de annonae difficultate siluerint; eamdem vim esse reticentiae hujus quam si nullam hujusmodi calamitatem fuisse dixissent. Quid vero si ne Plutarchus quidem (32) egestatem illam conqueritur? Is enim crudos dum taxat atque immaturos fructus perceptos ex arboribus fuisse tradit, quod plerumque non tam paucitatis & inopiae, quam vilitatis & copiae indicium est. Quae cum disseruisse, is qui paullo ante Plutarchi mentionem fecerat, annuit, atque est coetus ille dimissus. Sed jam de Solis obscuratione, quae Caesare mortuo rapuit homines in admirationem sui, nimis multa. De aliis etsi copiosissime dici

(32) Jacobus Angelus illum Plutarchi locum: Graeco vertit in hunc modum: *Solis praeterea lumen caligine obsecsum: toto namque illius anni spatio pallens globus* ☉ *sine splendore oriens, imbecillum ac tenuem ex sese calorem emittebat: quare gravis ac dispergentis imbecillitate caloris obscurus aer semicoctos edebat fructus, immaturos ☉ imperfecto flore collabentes.*

possit , breviter tamen , strictimque dicam . Ab illa autem ordinar quae multo ante facta est quam Antonius & Dolabella Consulatum inirent ; quae rejecta in hunc locum paucioribus explicari potest , quam si primum fuisse pertractata . Livius enim (33) Cn. Servilio , C. Flaminio Coss. Solis orbem imminutum fuisse docet ; quod ego sic interpretor , lucem Solis fuisse hebetiorem . Etenim cum Solem intueri nequeamus adversum , ejusque fulgore acies nostra , sensusque vincatur , nisi forte sit aliquid quod illius radios retundat vel intercludat potius & supprimat , Solis orbis videatur minui cum ipsius jubar ab oculis removetur . Qui ejus rei causam aliunde petat , scilicet id aget , ut omnem Physicorum , Optimorumque scientiam prosternat & obterat . Jam vero ut putem halibus & caligine aerem tunc refertum fuisse , ea faciunt de quibus Livius ipse indicat (34) . Mitto in Sicilia militibus aliquot spicula , in Sardinia equiti scipionem quem manu tenebat , arsisse ; praete-

(33) Lib. 2. Dec. 3. cap. 2.

(34) Loco citato .

reo littora crebris fulsisse ignibus & milites quosdam ictos fulminibus : & Praeneste decidisse ardentes lapides, & Arpis palmas in coelo apparuisse , pugnantemque cum Luna Solem : & Faleriis coelum diffundi visum velut magno hiatu : & Capuae duas interdiu Lunas ortas, & speciem coeli ardentem fuisse, Lunaeque inter imbre carentis. Sed certe eo terrae motu qui tunc multarum urbium Italiae magnas partes prostravit, nihil miserius, nihil foedius . Qui aut tetra caligine aerem inficere debuit, aut ne veraces sint Physici qui terrae motuum, quotquot ipsorum memoria facti sunt, historiam nobis descripserunt . Quod si homini neque confidenti neque ingenioso audere tamen aliquid seu potius conjectura judicare licet , non me ineptum putarem , si tenebras illas, quae interea dum ad Thrasimenum lacum praelium committitur , Romanos affixerunt , huic praesertim caligini adscribendas esse contenderem . Nam certe inter ipsam pugnam horribili motione terram fuisse concussam a multis accepimus (35) , & Livius

(35) Cicero de divinatione lib. i. cap. 35. inquit: *Magnum illud etiam, quod addidit Coelius,*

(36) & Polybius (37) diem illum caliginosum & perobscurum fuisse dicunt . Neque vero diffimulandum est ab utroque obscuritatem hanc ad nebulam nescio quam e lacu & proximis montibus ortam referri ; sed non est a veteribus Historicis postulandum ut accuratum illud atque exquisitum dicendi genus quale Physicorum esse volumus , numquam non consecentur . Longum esset & non necessarium alias defctiones Solis commemorare , quas monstri & prodigi loco maiores nostri habuerunt .

eo ipso tempore cum hoc calamitosum fuerit praeium , tantos terraemotus in Liguribus , Gallia , compluribusque insulis , totaque in Italia factos esse , ut multa oppida corruerint , multis locis labes facta sit , terraeque desederint , fluminaque in contrarias partes fluxerint , atque in amnes mare influxerit . Livius vero cap . 4. lib . 2. Deca 3. Tantus fuit ardor animorum , adeo intentus pugnae animus , ut eum terrae motum qui multarum urbium Italiae magnas partes prostravit , avertitque cursu rapido amnes , mare fluminibus invexit , montes lapsu ingenti proruit , nemo pugnantium senserit .

(36) Loco citato .

(37) Historiarum lib . 3 .

Quis enim putet aerem purum fuisse & a caligine liberum quarto anno ducentesimae secundae Olimpiadis quo nox Soli est offusa & stellae interdiu visae (38) ? Sed eodem anno & Nicaea vehementi terrae motu conlapsa est, & Bythinia universa miserandum in modum concussa . Quid Tito Imperatore ? Quanta , quamque diuturnae tenebrae Solem obsederunt? Sed nutabat tellus , fremebat mare , ardebat Vesuvius , & fumum & cineres in Africam usque , Syriam , Aegyptumque jactabat (39) .

(38) Ostenti hujus certa monumenta in Eusebii Chronicō extant .

(39) Ut alios mittam , haec habet Dio : *Post haec vehementis siccitas & vehementes terrae motus subito facti sunt , ut planicies illa universa aquis scaturiret , & montes subsilirent , sonitus a cavernis subterraneis tonitruis persimiles , superne vero & in terra mugire videbantur . Mare vero fremebat & coelum resonabat . Post haec fragor immensus subito ceu concidentium montium audiebatur , exsiliebant primum lapides ingentes , quasi ad summam montium exirent ; deinde tantus fuit ignis & fumus , ut aerem totum obumbraret , totum vero Solem occultaret , ceu defectum . Mox vero ex die*

Quum Romiae Commddis regnaret, stellae interdiu apparuerunt (40); sed ostentum hoc terrae motus antecesserat: Gallieni & Faustini Consulatum (41) simul defectus Solis longior,

nox Insuper duae civitates conflagraverunt, Herculaneum & Pompei tantus fuit pulvis, ut ab eo loco in Africam, & Syriam, & Aegyptum penetraverit. Pervenit etiam Romanum usque. Quin etiam aer totus imminens pulvere oppletus fuit. Sol etiam obtenebratus obscuratusque est. Dionem sic vertit Georgius Merula.

(40) Aelius Lampridius in vita Commodi: Prodigia, inquit, ejus imperio & publice & privatim hæc facta sunt Et repentina caligo ac nebra in Circo kal. Januariis oboritur est. Herodianus vero, quemadmodum vertit Politianus, lib. I. Historiarum: Exitere ea tempestate etiam quaedam in coelo prodigia; stellae enim per diem perpetuo apparuerunt, quaedam ex iis in longum productæ medio quasi aere suspensæ videbantur Nam cum neque imbres ulli, neque nubes, rantiumque exiguis terrae motus antecessisset, sèn nocturni casu fulminis, sive igni aliquo in ipso terrarum mo-ru velut extrito, totum de improviso Pacis Templo consumptam incendio est.

(41) Pollio Trebellius in Gallieno: Gallieno & Faustino Coss. inter tot bellicas clades terraemotus

simul horrendus terrae fremitus motusque ad posteritatis memoriam nobilitarunt. Quid plura? Neminem ego Historicum legi qui si mirabilem aliquam ac paullo diuturniorem Solis obscurationem renunciet, non multa etiam proponat, e quibus intelligi possit fuisse tunc aerem turbidum & caligine inquinatum (42).

fuit, & tenebrae per multis dies. Auditum praeterea tonitru terra mugiente, non Jove tonante. Quo motu multae fabricae devoratae sunt cum habitatoribus. Multi terrore mortui, quod quidem malum tristius in Asiae urbibus fuit. Mota est Roma, mota & Lybia; hiatus terrae plurimis in locis fuerunt, cum aqua salsa in fossis appareret. Maria etiam multas urbes occuparunt.

(42) De aliis libentissime reticeo. Nefas autem sit Divum Ambrosium, auctorem longe gravissimum, praeterire, qui suam in Theodosium laudationem orditur in hunc modum: *Hoc nobis motus terrarum graves, hoc iuges pluviae minabantur, & ultra solitum caligo tenebrosior denunciabat, quod clementissimus Imperator Theodosius recessurus es. set e terris.. Ipsa igitur recessum ejus elementa moerebant. Coelum tenebris obductum, aer perpetui horrens caligine, terra quatiebatur mortibus, replebatur aquarum alluvionibus.*

In horum numero Lucanum quoque reponerem (43), si tanti apud me hujus esset auctoritas, quanti fuit apud Anonymum nescio quem, qui Sodalitati Columbariae nomen dederat (44). Sed facile crediderim fugiente ex urbe atque adeo ex Italia Pompejo, non ea fuisse prodigia.

(43) Quae Virgilius Georgicorum lib. I. occiso Caesare facta fuisse narrat, ea Lucanus omnia Pharsaliae lib. I. quum fugeret ex Italia Pompejus, scribit contigisse. Sub idem tempus Solem defecisse affirmat Dio: sed obscurationem hanc, quae certe maxima fuit, obvolvitque Solis digitos fere undecim, Lunae interpositus fecit, quemadmodum ostendit Petavius. Nihil est ergo cur illam ad prodigia referamus.

(44) Hic ut ostendat Livium, dum crebrius prodigia narrat, falsum non fuisse, Lucanum appellat qui tot portenta fugienti Pompejo adfuisse scribit quot non saepe Livius in unum tempus confert: quasi vero qui eo sit animo ut Historico fidem abroget, is Poetae credere cogatur. Auctoritatem tantam si praeter expectationem voluntatemque deferri sibi ipse Lucanus audiret, eamdem, ut arbitror, liberali quodam ingenioque fastidio funditus repudiaret. Videsis Actorum Sodalitatis Columbariae Vol. I, pag. 102.

gia ; quae Lucanus altius exaggeratis carminibus celebrat (eorum quippe alius nemo auctor est) sed Poetam potius & Virgilii aemulandi studio flagrantem & Pompeii ornandi cupidissimum , quae imperfecto Caesare visa fuerant , in alienum locum libentissime transtulisse . Oderat enim Lucanus victoriam , e qua regnum extiterat ; idque paullo praeseferebat apertius , neque intelligebat in omnium metu & servitute non modo canoras Poetarum lamentationes , sed neque submissos populi gemitus esse liberos . Ut cumque sit , yellem Astronomi conjunctionem eam quae inter perturbationes aeris & prodigiosos Solis defectus numquam non intercessit , secum ipsi reputassent diligentius . Profecto non ita conjecturis indulsisserint , quemadmodum solent ii qui veritatem desperant . Iilud enim macularum incommodum est totum ab ingenio fictum & commentitium , nisi forte nos movet ea ratio , de qua plerique omnes magnifice praedicant , stellas interdiu conspici non potuisse , si halitus qui versantur in aere , Solem obscurasset . Etenim , inquiunt , cum non Solis modo , verum etiam stellarum radii eundem aerem trahiant , oportet profecto ut similiter impluat

atque irretiti utrique teneantur . Id vero si fiat , quis putet stellas quarum lumen est tenuissimum , per eam caliginem posse cerni qua Sol ipse obruitur ? Quod si caliginis concretione extingui illas non convenit , certe Solis fulgore , quantumvis fuerit imminutus , occultari necesse est . Etenim si coelo sereno lux Solis stellarum lucem delet , cur non idem faciet coelo caliginoso ? quoniam earum quantitatum quae pariter decrescunt , peraequa proportio constat . Oportet igitur ut quod corpus lucem Solis intercludit , nos inter & stellas ne interponatur . Id vero nigrior quaedam erit macula quae aut in facie Solis inhaerens aut vix ab ea remota , opacare Solem poterit , stellas non poterit . Praeclara in speciem oratio , quaeque a multis assensionem impetrat ; sed ego judicium sustineam & sum morosior . Qui enim arbitrantur ab ea caligine quae Solis lumen obscurat , stellas plane contegi , re & eventu refelluntur . Ut enim Solis splendor obtunditur , si vitrum quod in telescopiis ad oculum admovetur , fuligine inficiatur ! ut ejus orbis minuitur ! ut speciem Lunae refert ! At tamen per idem vitrum non sidera modo quae fixa dicuntur , sed planetas etiam quorum tan-

tulus fulgor est, conspexit Hugenius. Est ergo causa nonnulla quae Solem vel maxime infuscat, stellarum conspectum non adimit. Qui vero perinde media in caligine Solis lumen officere stellis putant ac si aeris puritas summa esset, in eum locum nos adducunt, quo vix est aliis ad explicandum difficilior. Ut enim multa Physici aliis in rebus compererint quae aut vera sunt aut habentur, in legibus tamen constituendis quibus sensus nostri tenentur, adhuc haerent. Quemadmodum enim a corporibus sensus pellantur, quidque inter pulsus varios intersit ut perceptiones efficiant alii alias, quaeque omnino sit pulsus inter sensusque proportio, tam est incertum quam quod maxime. Quod non tam Physicorum negligentia contigisse arbitror, quam rei ipsius difficultate; quae si in aliis sensibus magna est, in visione certe est maxima. Etenim cum nihil sit praeter oculum quod animo lucem nunciet, qui aut corporum lucem, e visione aut visionem a luce metiatur, lubricum sane & periculosum sequitur aestimationis genus. Itaque coguntur persaepe Physici leges quasdam visionis proponere quas ego leges non putaverim. Sunt enim potius pronunciata quas.

dam in vulgus notissima , neque expressa &
 absoluta , sed adumbrata leviter vixque inchoa-
 ta , velut hoc quod modo in disceptatione ver-
 satur : lumen minus obscurari & offundi luce
 majori , ut nonnumquam plane intereat . Quod
 certe est verissimum ; sed esset optandum ut
 id ipsum dicerent Physici paullo distinctius .
 Etenim saepissime lumen minus in majori cer-
 nitur , neque evanescit , nisi hoc certam quam-
 dam assecutum fuerit magnitudinem quae cu-
 jusmodi sit , definire nondum Physici potue-
 runt . Quapropter quamvis lumen Syrii a splen-
 dore Lunae vincatur , Syrius tamen in radio
 Lunae conspicitur ; neque metuo ne si Lunae
 fulgor duplicaretur , nullam idcirco Syrius im-
 primeret signaretque in animo imaginem sui .
 Si enim Luna non modo Syrium non delet ,
 sed neque innumerabiles alias stellulas , exiles ,
 minutasque neque cum Syrio comparandas ,
 quid est quod putem hunc nitore tanto illu-
 strem , si paulo majori fulgore Luna collu-
 ceret , subito extinctum iri ? Sed in omni re
 videndum est quatenus . Non enim dubito quin
 si Lunae splendor iterum ac saepius amplifi-
 caretur , tantus huic denique cumulus accede-
 ret , ut ex hominum conspectu sidera omnia

tollerentur : idque in Solem cadit , cuius lux cum reliquorum siderum lucem mirabiliter excedat , obscuratis ceteris sola appareat . Quid vero si praeter consuetudinem cum Solis tum stellarum lux minuatur ? Num ne probant Astronomi luminum differentiam ea imminutione non mutari ? Nae illi vehementer errant , si perpetuitatem in ea re quamdam & constantiam expectant . Sit enim densitas illius luminis quo Sol terras complere solet , ad luminis densitatem quod stella quaevis effundit ut $d : 1$. Quapropter discriminem quod inter utriusque luminis densitates intercedit , erit $= d - 1$. Sit solida quaevis atque opaca particula quae Soli objecta eam luminis partem intercipiat quae unitate exprimatur . Haec profecto si oculum inter stellamque versetur , luminis eam partem suppressimet quam indicat $\frac{d}{d-1}$. Igitur cum Sol tum stellam jacturam luminis facient , sed ita ut quae lux in Sole est reliqua aequet $d - 1$, quae in stella superest par sit $1 - \frac{1}{d-1}$. Atque omnino si aliae atque aliae aequales particulae his luminibus interponantur , interea dum Sol illas lucis partes amittit quas exhibent numeri $d - 1, d - 2, d - 3, d - 4, d - 5$, ea de luce stellae fit diminutio quae respondet

numeris $i = \frac{1}{d}$, $i = \frac{2}{d}$, $i = \frac{3}{d}$, $i = \frac{4}{d}$, $i = \frac{5}{d}$.

Jam vero fateor, his etiam acceptis detrimentis, geometricae illius proportionis quam lumen stellae & Solis primum habebant inter se, mutationem nullam esse factam. Est enim geometrice $d : i :: d - i : i - \frac{1}{d}$, est $d : i :: d - 2 : i - \frac{2}{d}$, idemque valet in numeris aliis quos recensui. Sed quis est qui non intelligat illorum lumenum differentiam eamdem non manere? scilicet primo illorum lumenum discriminem quantitas $d - i$ finiebat, mox alterum ab altero deficit eo numero quem significat quantitas $d - 2 + \frac{1}{d}$. Aliis vero aliisque particulis radiorum iter impedientibus, differentiae lumenum ita extenuantur, ut illas exprimere oporteat numeris $d - 3 + \frac{2}{d}$, $d - 4 + \frac{3}{d}$, $d - 5 + \frac{4}{d}$, $d - 6 + \frac{5}{d}$. Quod si numerus d non ita multum ab unitate absit, brevi discriminem omne evanescet, non quod nullum plane sit, sed quod ita sit parvum, ut nullum esse videatur. Qui autem probant Astronomi numquam e duobus lumenibus extingui alterum non oportere, sive illorum differentia fuerit $d - i$, seu $d - 2 + \frac{1}{d}$, seu $d - 3 + \frac{2}{d}$, seu alia quaevis his

etiam longe contractior? Quod miror summos homines non vidiisse . Sed hi proportionis illius geometricae ita erant cupidi , ut amare viderentur ; hanc quae arithmeticā dicitur despexerunt . Hujus vero contemptus quas causas habent ? An in culpa est arithmeticā proportio , quoniam id explicat quod geometricā non explicat ? Ego vero non modo illi hac de causa succensendum non puto , sed gratias potius agendas , quod se facilem praebuerit , errantique viam , ut dicitur , commonstraverit : nisi forte malumus naturam praeconceptis opinionibus , quam has illi accommodare . Quam ob rem si per eam caliginem qua Solis lumen habescit , stellae cerni commode potuerunt ; si caliginis ipsius non vestigia solum , verum etiam cubilia vidimus : quid est quod Astronomi vetustissima quaedam macularum incommoda , quae numquam fuerunt , adornent ? Satis jam illi timores multos , quibus antiquitas erat vacua , nobis opposuerunt ; ne quid progradientibus sideribus resistat , ne qua inopinata vis huc illuc torqueat eadem & flectat , ne qui cometa longissime adveniens subito in terram incurrat , eamque vel deturbet & comminuat , vel incendio absurget , vel alia ratio-

ne perdat. Si autem a latiori quadam crassiorique macula Sol ipse antiquitus est obvolutus, magno etiam nos in metu propter maculas esse oportebit. Sed ego quidem minime ferendum esse arbitror, ut ad formidines alias quae undique instant, hic etiam inanis macularum terror accedat,

